Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31714
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

de sublimitate altaris suscipiantur. Sicut legimus et danieli oranti et deprecanti gabrielem angelum apparuisse eique dixisse. Ab initio precum tuarum egressus est sermo, et ego veni propter sermones tuos. Et nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi michahel archangelus princeps vester. Et in zacharia propheta legimus pro consolatione et liberatione populi dei angelum deprecantem et dicentem. Domine exercituum usque quo non misereberis hierusalem et urbium iuda quibus iratus es? iste septuagesimus annus est. Et respondit dominus angelo verba bona, verba consolatoria. Similiter et ad tobiam raphael angelus dicit. Quando orabas tu cum lacrimis et sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam domino. Et nunc misit me dominus ut curarem te. Et cetera. Fit ergo et in illa oratione et oblatione sacre consecrationis aliquid incomprehensibile et ineffabile et multo his omnibus mirabilius, ut per angelica ministeria et supplicationes tamquam de sublimi altari divine maiestatis conspectibus offerantur. In illa immolationis hora cum astantibus sibi ministris celestibus christus ut proposita consecret adesse credendus est. De qua re commodum videtur aliqua beati ambrosii verba ponere de expositione euangelii secundum Lucam. Non enim dubites inquit assistere angelum quando christus assistit, christus immolatur. Etenim pascha nostrum immolatus est christus. Unde non immerito etiam zacharie deprecanti apparuit angelus a dextris altaris incensi. Quia veri sacerdotis iam nuntiabatur adventus, et celeste sacrificium parabatur in quo angeli ministrarent. Si ergo ista cogitanda sunt, ut aliquid quo nichil melius sit atque sublimius illa cogitatione conemur attingere. Similiter quoque et illud quod sequitur: ut omnes quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filii tui corpus et sanguinem sumpserimus omni benedictione celesti et gratia repleamur. Ista enim mysteria ista sunt dona super omnem gloriam constituta, quibus fideles suos omnipotens deus reficiens glorioso filii sui corpore vivificat, sanctificat et eternitati preparat.